

Supponimus notiones Entis finiti & Infiniti ex Ontol. quibus evolutis apparebit clarius, Deum vi suæ necessariæ existentiæ esse Infinitum, cui propterea competant omnes perfectiones illimitate. Limitatio enim enti infinito repugnat.

§. 4.

Deus gaudet Intellectu, & quidem perfectissimo.

In Deo nimirum est ratio sufficiens existentiæ hujus Universi (§. 1.), Plures vero cum adhuc possibles sint mundi alii (§. 101. Wolf. Cosm.), ratio etiam adsit necesse est, cur Deus hunc præcise ad aëtum perduxerit, & non aliud (id enim vult princ. rat. suff.). Ratio vero hæc non potest desumi, nisi a mundis istis possilibus ipsis, ex quibus hunc elegit & ad aëtum perduxit (vide Wolfi Theol. N. P. 1. §. 120). Hi vero cum non aliter differre possunt, quam quod alter sit perfectior (ib. §. 324.). Ergo Deus hunc mundum ex & præ aliis istis æque possibilibus elegit, quia fuit aliis perfectior, adeoque optimus (ib. §. 325.). Hoc vero, ut facile patet, fieri neutquam potuisset, nisi Deus omnes mundos possibles distincte cognovisset & sibi illos simul repræsentasset, & ita uniuscujusque ab altero differentiam perspectam habuisset. Patet itaque, Deum gaudere distincta & simultanea repræsentatione omnium possibilium. Ergo Intellectu. Sed vero perfectissimo (§. 3.). Quod erat probandum.

Ingrediuntur, uti vides, hanc demonstrationem principia ex Ontologia & Theol. N. petita & supposta. Quæ ut supponantur, erat necessarium, nisi campum velimus intrare nimis latum, id quod a scopo nos nostro deflechteret.

§. 5. In-